Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2297
Quelle:
Copyright:

morte resuscitato, quod illi C. VIII. p. 225. recitant e *Jucundo*, totidem verbis *Legendam* nostram terminat. Constat illa *Praefatione*, cujus initium: *Illustrissimi uiri uitam Seruatii stemate inclyto nati meritis super ethera exaltati* &c. prout citatur etiam in *Hist. Lit. Franc.* T. VIII. p. 342. Divisa est in *Libros* II. praemisso cuivis *Capitum* Indice. Prior constans *Capp.* XXX. *Servatii* vitam percenset, orditurque: *Floruit enim Caput Metropolis francorum tungris* &c. Alter *Capp.* XXXVIII. et ipse *Praeloquio* instructus est hujus tenoris: *Translato ad Superos Servatio opera postuma enarrari postulat ordo* &c. et maximam partem in Miraculis recensendis occupatur. C. I. incipit: *Post renouati denique dominica passione seculi lustra ferme LXX.* &c. Ultima de *Milite* supra dicto sunt: *ad congregationes sanctorum tripudianter abibat.* Catalogus Libb. Ducis *Vallerii* P. III. p. 96. Libellum in 4. indicat hac clausula: *Explicit sanctissimi seruacij tungrensis ecclesie presulis et consanguinei Christi legenda de nouo stilo claro ac eleganti compilata Colonieque Impressa per me Arnoldum ther hoyrnen finita Anno domini M°. CCCC°. LXXII° die Mercurij quarta mensis Marcij.* Idem Libellus extare dicitur in *Bibl. Reip. Basileensis.* Suspicor eundem esse cum *Nostro*, dictione fortassis aliquantum immutata, ut postmodum in quibusdam SS. Actis fecit *Surius.*

DCXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 185
XVI. Folior. 228. f. nitide scriptus hunc praefert titulum: *Ad Serenissimum et Christianæ Religionis studiosissimum Principem et Dominum D. Rudolphum Rom. Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regem &c. De ueri in Ecclesia Dei Regis offitio ac Potestate Paræneticon.* Fol. verso sequitur *Ad Eundem* Carmen Asclepiadeum:

Rudolphe Imperii Romulidum Vnica
Spes et Christicolúm præsidium et decus:
In te cum celebris luceat Indoles,
Totque Europa malis fracta miserrimis
Et polluta suo sanguine plurimo
A te quæ fuerint Principis optimi
Speret: cum lachrimis Vlnera et indicet,
Hæc ad te uolui scribere paucula &c.

Succedit *ad Eundem* Praefatio. — *Ego quoque Christianissimi et Clementissimi illius Aui Tui, Ferdinandi Imperatoris beneficentia in Austriensi Academia* (Viennae) *et in Hungaria* (Praepositura S. Thomae ad Strigonium) *ornatus aliquod tibi ad afflictæ Pannoniæ,*